



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

26. An excommunicatus sit incapax officiorum iurisdictionis sæcularis. Et
explanantur diversi casus pro præsentatione, collatione, acceptatione,
optatione beneficij tempore, quo Collator, vel ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Et ejus Absolutione. Resol. XXV. &c. 15

RESOL. XXV.

An effectus excommunicationis quoad privationem usus jurisdictionis habeat locum in iudice seculari excommunicato non tolerato?

Et an subditi absolvantur ab obligatione obediendi Superioribus excommunicatis? Ex part. 5. tractat. 9. Resol. 108.

Doctores communiter censent habere; quibus licet consentiat Malderus *tr. 6. de Inst. cap. 11. dub. 1.* censet non satis probari ex Canonibus sententiam iudicis secularis excommunicati esse irritam, & quidem varia capitula citari solita aperte loquuntur de iudice Ecclesiastico, alia non agunt de omni excommunicato, sed de excommunicatis propter certas causas, ut *cap. adversus, de immuni. Ecclesiarum*, decernuntur irritae sententiae Consulum & Rectorum civitatum, qui excommunicantur propter exactionem factam ab Ecclesiis, vel Ecclesiasticis, *c. excommunicatus, §. credentes, de haereticis*. Non annullatur sententia excommunicati in genere, sed excommunicati propter haereticum. Ergo, &c. Vide etiam Victoriam *in sum. de excomm. num. 16.*

1. Verum omnino dicendum est acta iudicis secularis excommunicati non tolerari esse irrita, quod & videtur bene colligi ex *c. presidentes, de haereticis*, in 6. ubi aliis deficientibus datur peculiaris potestas iudicibus excommunicatis procedendi contra haereticos ad instantiam Ordinariorum, &c. Vbi Pontifex supponit eorum potestatem alias impediri ratione excommunicationis; unde etiam hi peccant usurpatione jurisdictionis, si ullos actus jurisdictionis officij sui exercent, & tales actus sunt irriti & nulli, inquit sunt actus jurisdictionis: & ita docet Præpositus in 3. part. *quest. 2. de excomm. dub. 12. n. 75.* Hurtado *disp. 8. de excomm. difficul. 2. num. 3.* & Turrianus *lib. 2. disp. 14. dub. 1.* ubi ex Suarez probat hanc sententiam ex consensu, & consuetudine Ecclesiae, & illam etiam colligit ex *cap. penult. & ultim. 15. q. 6.* ubi * subditi absolvantur ab obligatione obediendi superioribus excommunicatis.

RESOL. XXVI.

An excommunicatus sit incapax officiorum jurisdictionis secularis?

Et explanantur diversi casus pro praesentatione, collatione, acceptatione, optatione beneficii, tempore quo collatur, vel praesentatus, est in excommunicatione. Ex part. 9. u. 8. Misc. 3. Resol. 34.

Suppono excommunicatum esse incapacem non solum beneficii, sed cujusvis officij, muneris, seu dignitatis Ecclesiasticae, uti Legati, Delegati, Inquisitoris, Administratoris, seu Gubernatoris, Episcopatus, Provisoris, seu Vicarij Episcopi, & a fortiori Provincialis, Generalis Ordinum, Rectoris, Guardiani, seu Praepositi Conventus, ex *cap. Postulasti, §. fin. de Cleric. excomm. ministr.* Difficultas est, an sit incapax officiorum jurisdictionis secularis? Et affirmative respondet Garcia *de benefic. tom. 2. part. 7. c. 13. num. 24.* qui citat Avilam, Toletum, Henriquez, Sayrum, & Vgolium. Probat, quia excommunicatio interdicta est communicatio cum fidelibus, & jurisdictionis exercitium: ergo prohibetur collatio officij & muneris hoc exercitium exigentis, ex l. *Oratio de sponsalib.* Deinde in *cap. Venerabilem 34. de electione*, cavetur ne Haereticus, aut excommunicatus in Imperatore eligatur, & si fuerit electus, irritetur ejus

Tom. V.

electio. Signum ergo est, officium jurisdictionis excommunicato concedi non posse; Limitat tamen Garcia hanc sententiam *n. 25.* ubi electione, seu hiberâ collatione, conferuntur huiusmodi dignitates, seu officia secularia; secus ubi obveniunt successione, seu ratione bonorum, vel majoratus, quibus excommunicatione suspenditur usus jurisdictionis.

2. Sed mihi, ut verum fatear absolute opinio negativa magis placet quam tueretur Suarez *de cens. disp. 16. sect. 2. n. 1.* quem affert Garcia, qui ego addo Coninch *de Sacram. disp. 14. dub. 11. n. 104.* Hurtado *disp. 8. diff. 2.* Filiuc. *1. 1. tr. 12. c. 5. n. 118.* & alios. Et ratio est quia ex prohibitione usus, & exercitij jurisdictionis excommunicato facta, solam inferitur prohibitionem esse jurisdictionis concessionem: at non inferitur, nullam, & irritam esse. Ex alia parte, nullus est Textus hanc irritationem inducens: nam Textus in *cap. Venerabilem*, potius probat, valere Imperatoris electionem, tamen si veniat irritanda. In officiis vero, & muneribus Ecclesiasticis, quia proximius beneficii conditioni accedunt, admittit communis sententia hanc annulationem, & irritationem. Non igitur ad officia, & munera temporalia extendi debet.

3. Notandum est hic obiter primo, quod affirmant plures, si eligaris ad beneficium tempore habili, & acceptes tempore excommunicationis, validam esse acceptationem. Ex hac doctrina inferunt graves Doctores in Ecclesia, in qua est ius optandi pinguem praebendam, excommunicatum optare posse. Secundo inferunt, si sis coadjutor cum futura successione, & tempore mortis proprietarij excommunicatus existas, non impediri consequutione praebendae, si in forma gratiosa facta est, licet aliqui probabiliter supradicta non admittant. Sed nostra sententia est probabilior. Vide Avilam *part. 2. cap. 6. disp. 5. dub. 6.* & Garciam *ubi supra, n. 35.*

4. Notandum secundo, quod excommunicatus obtinens in excommunicatione absolvi debet, ut beneficium retineat; sed nova collatione indiget. Verum, si collatio, vel electio; quae ad Ordinarium pertinet, facta est tempore excommunicationis, ex dispensatione Ordinarij retinere beneficium poterit: quia ea dispensatio aequivalere novae collationi. At si collatio pertinet ad Ordinarium, praerequiritur praesentatio patroni laici, vel Ecclesiastici, vel collatio pertinet ad Pontificem, est gravis difficultas, an ex sola dispensatione Ordinarij beneficium retinere possis; Negat Avila *ubi supra, dub. 4. concl. 2.* Suarez *de cens. disp. 13. sect. 1. n. 43.* Coninch *disp. 14. dub. 9. n. 75.* Garcia *loco citato, n. 76.* & alij: quia haec dispensatio aequivalere novae collationi: at Ordinarius beneficium, quod est de alterius praesentatione, patrono inconsulto, providere nequit; minisque potest beneficium Sedi Apostolicae affectum conferre. Ergo neque poterit dispensare, ut retineatur.

5. His tamen non obstantibus, contrariam, tanquam probabilem, admitto cum Layman *lib. 1. tr. 5. part. 2. cap. 2. num. 8.* Azorio *part. 2. lib. 6. cap. 7. quest. 2. §. Quid dicendum*, & aliis quos citat, & sequitur Sanchez *lib. 8. disp. 7. num. 12.* ubi triplicem conditionem apponit. Prima, ut collationis nullitas occulta sit. Secunda, ne cedat dispensatio in tertij coelecti praedictum. Tertia, nesciens se inhabilem esse, possessionem beneficii jaceperit, quia eo casu incurrit vitium intrusionis. Sed ab hoc, si occultum est, dispensari potest. Dicendum est itaque, satis probabiliter in tali casu ex sola dispensatione Ordinarij posse excommunicatum praedicta beneficia retinere: quia, ut facilius fidelium conscientias consulatur, videtur haec potestas Ordinario concessa in dicto *c. Postulasti* siquidem non reservatur Pontifici. Dispensatio autem non re-

B 2 servata

Sup. his duabus primis diff. inf. in Resol. 171. §. 1. 2. & 3. & in Resol. 172. per totam, & pro parte in aliis §§. eorum notationum.

Sup. contento in hoc & seq. §. inf. in Resol. 170. per totam, & in aliis §. ejus annot.

fervare concessa censetur Ordinario, argum. c. *Nuper*, de sent. excomm.

RESOL. XXVII.

An injuste excommunicatus v. g. ex causa praesumpta secundum allegata, & probata, teneatur se abstinere à communione fidelium, & ab aliis actibus prohibitis? Et an in dicto casu, quamvis ad id teneatur ratione scandalii, imò ratione obedientiae, non fiat irregularis celebrando, non solum quando in occulto celebrat, sed etiam quando in publico, & coram eis, quibus censura est nota, & innocentia incognita, &c. Ex part. 5. tract. 9. Refol. 27.

Sup. hoc inf. vide adhuc magis latam doctrinam in Ref. 29. & lege etiam Ref. annot. seq.

Sup. sequen- tribus abhinc usque in finem hujus Ref. in Ref. seq. lege à 5. Verum.

Sup. hoc ibi- dem §. Sed & §. ult.

§. 1. DE in iusta excommunicatione, valida tamen, norandum est tripliciter posse esse injustam, uno modo ex pravo affectu tantum. Secundo ex defectu ordinis à jure statuti. Tertiò ex defectu causae, quando revera non est, licet praesumatur. Et si primo tantum modo sit injusta, non videtur dubium, quin habeat omnes effectus, quia si alia omnia requisita adsint, solus primus affectus iudicis non impedit efficacitatem sententiae, & idem judicandum est de excommunicatione injusta ex solo defectu ordinis, & injusta ex defectu causae.

2. Sed circa praesentem quaestionem prima opinio antiquorum fuit, talem sententiam validam esse, atque rimendam, & observandam. Ita S. Th. in 4. dist. 18. *quest. 2. art. 1. quest. 1*. Rich. art. 1. *qu. 1*. Duran. *quest. 4. & aliorum*, probatur ex cap. *sententia* 11. *qu. 3*. ubi dicitur sententiam iudicis sive iustam, sive injustam timendam esse. Secundo, quia secundum allegata & probata talis sententia est vera; ergo habet effectum. Gabr. dist. 18. *quest. 2. art. 2*. docet, talem sententiam non obligare quoad Deum, bene tamen quoad Ecclesiam, & sequitur Adrian. *quodlib. 6. art. 1*. Major dist. 18. *quest. 2. art. 4*. & alij, qui docent eam tantum servandum esse in publico, non tamen in occulto. Dicendum est igitur in publico sic excommunicatum obligari ad obediendum iudici, quia secundum allegata & probata recte iudicat: probabile autem est in occulto non teneri, est enim ille innocens: ergo non est causa, ob quam obligetur iste ad obediendum, quando nullum est scandalum, fateor tamen non esse improbabile sententiam antiquorum asserentium, etiam in occulto obligari ad obediendum, quia iudex iuste procedit, & habet potestatem praecipendi modo humano, hoc est, secundum allegata & probata. Et ita ex Vasqu. docet. Turrian. de cens. lib. 2. dist. 20. dub. 1.

3. Sed non desinam hic apponere verba Gasparis Hurtado de cens. in comm. dist. 24. num. 104. ubi sic ait: Qui injuste sententiam censuræ patitur, tenetur coram eis, quibus sententia censuræ est nota, & innocentia ignota, se gerere, ut censura innodatus ratione scandalii, ne eis videatur censuram contemnere, sed non tenetur ad id ratione obedientiae, quia non tenetur immediate ratione censuræ, cum non sit valida, nec ratione alicujus prohibitionis à iudice superadditæ ipsi censuræ, quia iudex nullam ponit, quia nihil aliud facit, quam ferre censuram; sed quamvis ad id teneatur ratione scandalii imò & admittamus teneri ratione obedientiae, non fit irregularis celebrando, non solum quando in occulto celebrat, sed etiam quando in publico, & coram praedictis, quia quamvis teneatur abstinere, non tamen ex vi censuræ. Hæc Hurtado: videatur etiam Faber in 4. sent. de cens. dist. 12 §. *quest. 1. dist. 4. cap. 3. n. 91*. & Suarez de cens. dist. 4. *sect. 6. n. 13*. Praepositus in 3. *art. de cens. in gen. quest. 1. dub. 10. n. 64*. & alij penes ipsos.

RESOL. XXVIII.

An injuste excommunicatus incurrat in penas iuste excommunicationis?

Sed quid est dicendum de penis, quas incurrit violentas censuras, de irregularitate celebrando Missam in dicta excommunicatione, de collatione, & receptione beneficii, de ferendo suffragium, & similibus? Et difficultas consistit, si violat censuras in publico, Et an communicans cum tali excommunicato incurrat penas juris impositas? Et adhuc aliud dubium superest, an ab orationibus generalibus Ecclesiae, à quibus excluduntur excommunicati, excludatur supradictus excommunicatus: Ex part. 5. tract. 9. Refol. 28.

§. 1. ET quoad penas spirituales, dico certum esse, quod fideles orantes in publico non orare pro tali excommunicato, etiam si illis confiter illum esse innocentem, quia talis sententia saltem habet vim obligandi in actionibus externis, & iudex procedit secundum allegata, & probata. Sed dubium est, an ab orationibus Ecclesiae generalibus pro fidelibus, à quibus excluduntur excommunicati, excludatur praedictus excommunicatus: Et assero non incurtere hanc poenam, quia non est credendum Ecclesiam hoc velle; sed difficultas est de penis externis, & de exterioribus effectibus, & aliqui asserunt, quod tam in publico, quam in privato incurritur. Ita ut, v. g. ille maneat privatus actione activa & passiva beneficiorum: & huic sententiae favent DD. citati *bio praed.* qui absolute dixerunt talem excommunicationem obligare, non distinguendo de obligatione in publico, vel in secreto. Probatur verò hæc sententia ex cap. *venerabilibus*, de sent. excomm. in 8. ubi assignatur differentia inter abolitionem excommunicationis in iusta, & excommunicationis nullius; quod absolutio nullius solet esse ad cautelam, alterius verò semper est simplex absolutio. Et quod possit Ecclesia eas imponere penas, patet, quia dare jus ad electionem vel jurisdictionem ad administranda Sacramenta pendet ex iudicio Ecclesiae, & habet potestatem auferendi secundum allegata & probata, & ita ex Vasquez de excomm. dub. 11. num. 13. docet Turrianus de cens. lib. 2. dist. 20. dub. 2.

2. Verum ego contrariam sententiam teneo cum S. Th. Suar. de cens. dist. 4. *sect. 7. num. 14*. quia non est credibile Ecclesiam velle hoc modo obligare. Et hanc sententiam non carere probabilitate, praesertim in ordine ad praxim, & sedandas conscientias, concedit ipse met Turrianus loco citato. Vnde illam tenet novissime Prap. in 3. *art. quest. 1. de cens. in comm. dub. 10. n. 64*. ubi sic ait: Innocens non obligatur censura ratione sui, sed eatenus tantum tenetur eam exterius servare, quatenus est necesse ad tollendum scandalum, quia non est verisimile Ecclesiam velle tam graviter punire eum, qui verè est innocens, & se pro tali certo cognoscit, & velle eum privare spiritualibus bonis, & quidem ita ut ipsemet sine alterius interveniente teneatur esse executor. Confirmatur, in aliis penis, is, qui verè est innocens, potest declinare poenam, quantum citra vim fieri potest. Hinc sequitur quod talis innocens celebrando non incurrat irregularitatem, & quod in conscientia possit recipere beneficium, & collatio non sit irrita, item ferre suffragium. Ita ille, satis quidem probabiliter, ut dictum est.

3. Sed quid dicendum de penis, quas incurrit violentas censuras, & de irregularitate & similibus? Dico igitur illas non incurtere quando actiones iuste prohibite